



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-541852-p0001-6

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-541852-p0002-1

DFG

3850.

Quod Deus bene vertat! *1682*, *a 10*  
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
*D E*  
**LEGITIMA EIUSQ;  
NECESSARIA PRÆSTATIONE**

*QVAM*  
Divino annuente Numine  
EX DECRETO ET AUTHORITATE AMPLISSIMI  
ICTORUM ORDINIS.  
IN FLORENTISSIMA AC ILLUSTRISSIMA  
HEIDELBERGENSIMUM UNIVERSITATE  
*P R A E S I D E*  
*V I R O M A G N I F I C O C O N S U L T I S S I M O A T Q V E*  
*E X C E L L E N T I S S I M O*

**DN. HENRICO COCCEJO**  
ANTECESSORE ET CONSILIARIO STATUS  
ELECTORALIS PALATINI DIGNISSIMO  
p. t. FAC. DECANO. SPECTABILI  
Patrono Promotoreque sempiterno obser-  
vantiae atque obsequii cultu suspiciendo.

**PRO LICENTIA**  
SUMMOS INUTROQUE JURE HONORES  
RITE LEGITIMEQUE CONSEQUENDI,  
Publico Eruditorum examini subjicit

**JOHANNES JACOBUS FRÆS.**  
Alsata-Colmariensis

*Ad Diem Junii M. DC. LXXXII. h. l. q. s.*

*HEIDELBERGÆ,*  
Literis SAMVELIS AMMONII VNIVERS. Typograph.  
*to.*



D E O  
P A T R I Æ  
P A T R O N I S

Atquè

A M I C I S  
S I N C E R I S.

## PROOEMIVM.

**M**iraberis fortassis, Lector Benevole, quod ritè  
exantlatis in utroquè jure examinibus, aliis  
nobilissimis Juris civilis materiis, aliam prætulerim,  
eamque fugitivo calamo percurrentam (non dico  
tractandam) putaverim, de qua integri commentarii  
conscripti extant? Sed desines mirari, quando co-  
gnoveris, privatam aliquam causam, quædam de hac  
materia monendi, injunxisse necessitatem, quod  
eo libentius feci, quo celebriore est locus in Jure de  
Legitima, ita quidem, ut referente *Rittershus. ad*  
*Novell. part. 6. c. 4.* nihil crebrius in consiliis, respon-  
sis, & decisionibus DD. sit. quam Legitima. Si verò  
me quem putabas non præstitero, Tuæquè  
expectationi non satisfecero, temporis angustiæ,  
meæquè Tenuitati, ut pro Tuò erga me amore ad-  
scribas quæso, Tibiquè certissime persuadeas, Te  
non promptius errantē monitum, quam ego mo-  
nentem sequar, & ut verbis utar *Hug. Grot. tr. de*  
*Jur. B. & P. in prolog. in fin.* si quid pietati, si quid  
bonis moribus, si quid ulli veritati dissentaneum di-  
ctum est, id nec dictum esto. Vale, Lector Optime,  
faverequè perge.

THES. I.



## THESIS I.

Successio in bona alterius est vel ex lege seu naturae seu positivâ vel ex justa voluntate patris familias. Illa vocatur ab intestato; hæc per testamentum; Illa nititur voluntate plenumque tacitâ, hæc expressa; & naturale est, ut pariter hæc ac illa servetur defuncti voluntas. Hæc autem voluntas præsumpta respectu successionis liberorum in bona parentum libera non est plane secundum Jus Naturæ sed restricta ad aliquod debitum, quod fundatum est in alio principio Juris Naturæ nimis præstatione alimentorum; Qui enim dat formam, dat quæ ad formam sunt necessaria, teste Hugone Grotio de Jur. Bel. & Pac. lib. 2. c. 7. §. 4. Quare, inquit, quicaua est ut homo existat, is quantum in se est, prospicere debet de his, quæ ad uitam humanam i. e. naturalem ac socialem, nam ad eam homo est natus, sunt necessaria. Hocque exigit instinctus naturalis, qui nobis communis est cum brutis animalibus. Omnia enim animalia à natura ducuntur ad aliendum id, quod procrearunt, quem naturæ impulsu homines etiam percipiunt. Hinc Ictus Paulus in l. 4. ff. de agnos. & aliend. lib. inquit, necat qui alimenta negat. Ex quibus patet hanc successionem ab intestato non tam oriri ex præsumpta defuncti voluntate, quam ex hac aliendi necessitate; Non satis itaque accurate ratiocinatus videtur

detur *Hug. Grotius d. tr. lib. 2. c. 7. §. 4.* in princ. autumans, successionem remota omni lege civili ex conjectura voluntatis naturalem habere originem. Verum equidem est, illam procedere ex conjectura voluntatis, ut pote quæ duplex est. 1. Neminem velle res suas post se de relictas. 2. Unumquemq; alteri vel le id, quod convenientissimum. Sed illa voluntas, ut superius innuimus, limitanda est. Ex hac enim sententiâ Grotii multa sane absurdâ & absonta (quod pace tanti Viri dixerim) sequerentur; si enim omnis successio vel ab expressa vel à præsumpta voluntate defuncti descenderet nulla daretur naturaliter successio contra defuncti voluntatem, nec querela in officio si locum jure naturæ haberet; cùm tamen ipse *Grotius d. §. 4. n. 2. in fin.* testamentum, quo filius excluditur, cum Salustio impium pronunciaverit, at sanè impium non esset, si à voluntate omnis successio petenda esset. Necessè itaque est, præter voluntatem defuncti esse quoddam jus naturale de cuius successione pronunciamus. Quiaimò ipse *Grotius d. 1.* fatetur ob præcîsum debitum naturale liberis hæreditatem deberi, & sane restissime; Eorum enim gratiâ bona paterna sunt acquisita *Paul. 2. corinth. 12. v. 14.* adeo, ut viventibus adhuc parentibus quodammodo bonorum paternorum existant domini *l. II. ff. de liber.* & post. testamentumque inter eos divisionis potius quam testamenti vicem obtineat per *§. 3. Inst. de hæred. qualit.* & diff. *§. 3. Inst. de hæred. quæ ab intestat.* Nimicum res ita se habet: Parentes contrahendo nuptias quodammodo coëunt in societatem bonorum *vid. l. I. ff. de R. N.* in eaque procreant liberos, ut ita sit quædam relata societas inter Parentes & liberos quæ licet inæqualis sit, manet tamen societas, & hinc liberi jus quoddam habent adhæreditatem paternam: fundatur autem illud jus in spe aliquâ, quæ viventibus adhuc patentibus

A 3

B

liberis

dunc

Liberis competit, quod etiam videre est ex sacra scriptura *vid.*  
*epist. ad Gal. iv. 7.* ubi Apostolus ita argumentatur: Filius est,  
 E. hæres, eleganterque hoc exprimit *Paulus in l. 7. ff. de bon.*  
*Damnat.* Ne tamen aliquid statuere videamur, quod iniqui-  
 tatem sapiat, Parentibus tanquam Dominis rerum suarum li-  
 beram dispositionem negando, quod etiam contra naturam  
 est *l. 21. C. mandat.* permittitur illis, quo liber sit stilus & lici-  
 tum arbitrii ultimum (quo magis nihil hominibus dari po-  
 test *l. i. C. de sacrosanct. Eccles.*) pro sua voluntate disponere de  
 bonis tanquam Dominis, moderatoribus, & arbitris *l. 14.*  
*C. de contrahempt. & vend.* modo liberis legitimam pro-  
 pter debitum, quo parentes illis præstare alimenta tenentur,  
 salvam reliquerint.

## Thes. II.

Vocabulum legitimæ, quæ alias etiam vocatur debi-  
 tum *Nov. 18. in prefat. item debitum bonorum subsidium l. 5. ff. de*  
*inoff. test. item quarta legitimæ illius partis, quam quis ab intesta-*  
*to esset habiturus l. 6. & 8. C. d. tit.* unde derivetur cuilibet  
 constare potest, nimicum à lege, quasi portio quædam à lege  
 terminata. Hinc legitima formaliter considerata ratione  
 definitæ quantitatis est Jur. civilis seu positivi & hactenus mu-  
 taripotest. *l. 36. §. 1. in fin. C. de inoff. test.* ratione autem sui  
 materialis ipsius juris succedendi, quod naturali jure debetur,  
 mutationi non est obnoxia, jura enim naturæ mutari neque-  
 unt *l. 8. ff. de R. J. vid. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exercit. X.*  
*§. 10. n. 2. Strauch. Diff. 9. th. 35. Frans. ad tit. inst. de test. inoff.*  
*n. 22. & Michael. Grass. i. recept. §. Legitima quest. 2.* Et  
 nihil aliud est, quam portio quædam certis personis necel-  
 sariò ex successione debita. *Vid. Biccius in colleg. J. A. Enncl.*  
*tit. de inoff. test. n. 15. Rittershus. ad Novel. part. 6. c. 4. n. 3.*

## Thes. III.

Relinquenda autem hæc portio illis personis, quæ habent  
 quere-

querelam inofficiosi. Hanc cū quædam habeant absolute quædam secundum quid, legitimā quoq; quibusdam deberi absolute quibusdā secundum quid evidentissimi est juris. In priorē classem referendi sunt Ascendentes & descendentes, in posteriorem transversales seu collaterales. Et quidem Parentibus debetur ex capite pietatis & in solatium liberorū amissorum; Ratio enim miserationis inquit *Struv. Syntag. Jur. Civ. Exercit. 9. thes. 8.* ad bona liberorum parentes contra ipsorum & naturæ aliud intendentis votum, admittit. Hinc ordo naturæ mutatus paterque succedens filio ad triste lucrum venire dicitur *l. fin. C. communia de success.* Incredibilis tamen reverentia, observantia amoreque, quo liberi propter innumerā in se collata beneficia, quorum magnitudinem nulla dies, nulla temporis vetustas, non casus ullus, non fortuna imminuere debet, parentes prosequi tenentur, ab iis exigere videtur, ut parentibus bona sua relinquant, ita quidem, ut successione parentes privantes contra observantiam illis debitam agere meritò dicantur, merenturque, quibus nota integrorum hominum, quo crimine nullum est odiosius, incurratur, dum nec minimam quidem parentum meritorum partem assequi valent. Liberis autem competit Legitima de jure Naturæ & quidem præceptivo *l. 7 ff. d. bon. damnat.* quia ex eodem debentur alimenta & ab his ad Legitimam validissimum fit argumentum; Ut enim parentes viventes liberos suos alere tenentur, ita morientes tantum relinquere necessary habent, ut honeste pro conditione cuiuscunque vivere liberi possint. *vid. Grotium de Jur. Bel. & Pac. lib. 2. c. 7. §. 4. n. 3.* *Marc. Ant. Cucchum tract. de inoff. test. pag. m. 456.* & de jure divino quoque deberi tradit *Socinus in consil. 30. col. I. vol. I.* De jure naturæ attestatur *Geil. 2. Observ. 122. Carpzov. Definit. forens. part. 3. constit. 7. Definit. 24. n. 8. Vicentius de Franchis Dec.*

*Dec. 127. n. 9.* quæ sententia communi DD. calculo ita comprobata est, ut referente *Michael. Grass. d. tr. §. Legitima. quest.* 2. nemo unquam discrepuerit.

## Thes. IV.

Hinc ea quæ à *Perezio ad Tit. C. de inoff. test. n. fin.* & ab aliis apparenter dissentientibus in contrarium adducuntur, tanti momenti non sunt, ut nobis à communi opinione recedendi necessitatem injungant; Exemplum enim militis liberos à querela inofficiosi excludentis p. l. 9. & 24. C. de *inoff.* nihil aliud probat. quām quod Princeps & lex civilis de rebus ac juribus civium ex justis causis publicæ v. g. utilitatis disponere, & e nomine jus quæsitum quoquè adeoque naturâ debitum auferre possint, quo titulo pactis naturâ validis vim obligandi efficaciter admunt, conventiones doti adversas, intercessiones mulierum, mutuas pecunias filiorum aliasque improbant, filias ab hereditatibus, ut Lege *Voconia factum*, excludunt, quin omnes collectas oneraque ex hac causa bonis civium imponunt; eodemque modo militibus hoc privilegium concedunt, cùm publicè utile sit, milites, dum in ipsa expeditione hostem vel vident vel quærunt aut exspectant, (his enim solis id competit) ab omni cura rei domesticæ, & à necessitate inquirendi in quantitates legitimæ, in querelam inofficiosi, earumque jura vacuos immunesque præstari. Unde sicut cætera naturæ jura, quæ turpitudinem aliquam sapiunt, ita & ea, de quibus jam egimus, cessante tali causa mutationi non magis subjacent, quām ipsa divina voluntas, quæ hujusmodi jus constituit, & quā sepositâ omnes actus sunt indifferentes, nullique dantur, excepto Dei cultu, qui per se citra impositionem honesti aut turpes sint, uti non nemo statuit, putans dari actus, qui se habent antecedenter ad divinam voluntatem h. e. tales actus

les actus esse turpes, etiamsi Deus non prohibuisset, quod sane admitti non potest. Id equidem libenter concedo, hypotheticè quosdam actus esse turpes, posito nimis statu, quo nunc vivimus, positaque natura, quam Deus in liberrima hominum creatione humano generi assignare voluit, sed cum omnia & per consequens homines pro liberrimo suo arbitrio creaverit, quid impedit, quo minus homini aliam potuisset induere naturam, quæ proprius accessisset ad naturam brutorum? quæ sepiissime tales actus exercent citra peccatum, quibus homo referente Samuel. Pufendorf. lib. I. c. 2. §. 6. patratis gravissimo se scelere fuerat obstricturus; *Non quod motus*, uti inquit *physicus hominis & bruti in se differant, sed quia quibusdam hominis actionibus moralitas per legem est imposta quæ à bruti actibus abest.* Hinc errore lapsi objectum Juris naturalis citra impositionem honesta aut turpia per se statuentes, non ideo, quia legislator voluit, huicque sententiae tenaciter in hærentes nihil aliud agunt, quam ut Dei liberrimam in assignandis rerum figuris voluntatem in dubium vocent. Huc pertinet exemplum Israelitarum Ægyptiis vasa auferentium Exod. c. 12. n. 36, qui actus seposito mandato divino à turpitudine morali immunis non fuisset. sed hæc hujus loci non sunt, vid. de hisce profunde & solide philosophantem Pufendorf. d. loc.

## Thes. V.

Ex demum dictis fluit decisio illius questionis, circa cuius veritatem referente Socin. cons. 50. per tet. vol. I. ducentis retro annis à DD. disputatum, qui infinitas afferat auctoritates in utramq; partem, idem facit latissime teste Gail. Albertus Brun. in tract. Statut. art. super Statut. fæminas excludent. Quæstio est An legitima statuto seu consuetudine tolli possit? Sunt qui putant legitimam liberorum statuto vel consuetu-

B

dine

ditie minui posse, sed non in totum tolli, sunt qui contraria sententiam amplectuntur, statuentes, legitimam non solum minui sed etiam prorsus tolli & in totum. Nobis prior sententia arridet, cum enim Legitima materialiter considerata Juris Naturalis sit, quatenus nimirum ei insunt alimenta *Grotius alleg. loc.* uti hactenus demonstrare fuimus occupati, nullo statuto seu consuetudine raditus tolli posse, quis non videt? Illud equidem juxta *thes. 4.* facile largimur cum *Gail. 2. observat. 122.* statutum ex rationabili causa tollere omnino Legitimam posse favore scil. agnationis, uti in statuto excludente foeminas à successione parentum, masculis extantibus, quamquam illæ foeminae in effectu non penitus à Legitima excludantur, quia filiabus istis in alio, quod vicem Legitimæ obtinet, ita ut alimenta necessaria habeant, providet. Firmo itaque stat telo Legitimam in se spectatam statuto tolli non posse, nequè consuetudine (consuetudo enim irrationabilis nullarum est virium *l. 2. C. de alend. liber.*) cum veniat ex precepto Juris Naturæ determinari tamen, augeri vel minui recte potest, uti videre est apud *Muscul. c. tr. concl. 7. lit. B. n. 29. Illustr. Bar. Enenck. Priv. 14. p. 1. c. 12. n. 4.* hisce adde Dieterich ad *A. B. tit. 25. vers. patrim. facult. Merlin. de Legitima l. 5. tit. 1. quest. 6. n. 6.* certusque relinquendi modus à Jure Civili prescribi, uti quod institutionis non legati titulo sit relinquenda, quod in mere civili ratione fundatur, nempe in sola honoris opinione, quo affici censetur qui instituitur; De hac quæstione consulendus ab eo qui diversitate sententiarum scire cupit *Gail. supr. alleg. loc. Mynsing. cent. 5. observat. 3.* qui prejudicium in camera observatum refert. *Carpzov. d. tr. part. 3. Const. 12. §. 6. Rosenthal. de Feud. cap. 7. conclus. 25. n. 27. Vincentius de Francis Dec. 628. n. 3. Et impensis Cucchus d. tract. pag. 388. n. 70.* qui quatuor principali oribus

oribus sententiis, quas DD. acriter defendere solent, in medium allatis, hanc nostram magis receptam fatetur. In Legitima autem ascendentibus & transversalibus debita facilior sum, quia mere Juris Civilis videtur, ea autem quæ ex mero jure civili originem trahunt, contrario jure corrumphi possunt §. pen. Inst. de jur. naturæ & gent. nihil enim tam naturale est quam eo modo dissolvi quo colligatum est, l. 80. ff. de solut. l. 35. ff. de R. J. Quamvis quoad ascendentes diffentiat Mynsing. Cent. 6. observat. 44. cuij oppono Cucchum d. loc. num. 69. in fin.

Thef. VI.

Cum autem filius nullum habeat jus in legitima vivente adhuc patre, sicut nec patronus in bonis liberti viventis l. 2. ff. si quis a patr. fuer. manumis. & pater de rebus suis arbitrio suo disponere, vendendo, donando possit, neque habeat filius, quid conqueratur, cùm pater rei suæ sit moderator & arbitrus l. dudum ff. de contrah. empt. sed eo demum mortuo dicatur habere jus & Legitimam quasi sibi debitam id. Carpzov. d. tr. 3. 12. 10. & Strauchium dissert. 9. thef. 37. l. 1. §. si puberi ff. de collat. bonor. Pater non tenetur in vita sua assignare Legitimam etiamsi bona dilapidaret Barthol. ad d. l. 1. Rittershus. ad Nov. confer. Cucchum d. tr. p. m. 213. num. 5. & seqq. & Michael. Graß. d. §. Legitima quest. 12. n. 5. Nequè obstat l. II. ff. de lib. & postum. Disting. inter Dominium intellectuale seu interpretativum & verum seu effectuale. Prius est in filiis vivente adhuc patre, interpretatur enim lex filium & patrem esse unam eandemquè personam, fingiturquè ideo filius familiæ quasi Dominus bonorum paternorum, sic fictum habet Dominium; secus est quoad posterius, quia Dominium est quædam plenitudo, quæ non capit plures in solidum. vid.

B 2

Mynsing.

*Mynsing. Cent. 4. Observ. 25.* poterit tamen pater si velit assignare Legitimam, quia quilibet favori pro se introducto renunciare potest. *I. pen. C. de pact.*

## Thes. VII.

Quantitas autem Legitimæ quæ sit, patet vulgo, olim scil. quadrans, hodie semis vel triens pro numero liberorum; quorum illi qui jure repræsentationis veniunt, pro una persona habentur. Exemplum hujus innovatæ quantitatis, tale esto; Titius in bonis habet 100000. fl. & liberos octo, hic Legitima eorum erit semis i. e. 50000. fl. qui dividantur ita ut singuli ex his 50000. consequuntur 6250. fl. *Carpzov. part. 3. Const. 12. Definit. II. Rittershus. ad Novell. part. 6. c. 4. num. 37. Strauch. d. loc.* Hac occasione quæri solet à DD. An ad exemplum liberorum parentum Legitima quoquè aucta sit? Mirifice hic dissentunt Interpretes. Nos non obstantibus affirmantium rationibus, negantium opinionem amplectimur, & I. ideo quia si quis bene respiciat textum in libro Novell. non videtur loqui nisi de filiis. Et in primis argui potest à rubrica (quæ est demonstrativa eorum quæ dicuntur in nigro, uti tridunt DD. in l. I. ff. de reb. cred.) quæ loquitur de triente & semisse & de successione filiorum. II. Alia ratio est in parentibus quæ in liberis, & ubi non est eadem ratio ibi non idem jus l. 32. ff. ad L. Aquil. Liberi enim ex communi voto ac naturali ratione absolute id exigente bona expectant *vid. prefat. Novel. 18.* Parentes verò non ex ordine naturæ, sed contra eum, ordine scil. mortalitatis turbato. III. Quia correctoria sunt stricte accipienda. IV. quia beneficia non egredientur personas expresse nominatas. Nequè obstant verba finalia d. Nov. 18. c. 1. hoc observando in omnibus personis &c. Intelligenda enim de personis, quibus dabatur querela an officiosi respectu Legitimæ debitæ de jure naturali, quod pro-

probatur ex p̄fāt. in vers. 6. frequenter ibi, quod relinquitur jam debitum vocant. Et hanc sententiam in puncto iuris veram pronunciat Anth. Cucchus d. tract. pag. 459. confer. Scotan. Dissert. 24. thes. 14. Dissentit. D. Richter. Dec. 52. n. 3. Dn. D. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exercit. 10. th. 13. Ludv. tract. de Ultim. voluntar. p. 2. p. m. 388. Treutl. vol. I. Disp. 13. th. 13. lit. C. Strauch. diss. 9. th. 36. & Michael. Gräf. d. S. quest. 9.

## Thes. IX.

Item quoquè obtinere putamus in transversalibus, fratribus scil. & sororibus. I. enim nuspia facta est mentio auctæ fratribus legitimæ, quod autem mutatum non est, quare stare prohibetur arg. l. 27. C. de testam. II. Fratribus ac Sororibus non jure ordinario, nec ratione naturali, ut liberis, sed per accidens saltem odio infamis personæ institutæ ex mera legis dispositione querela competit arg. l. 15. princ. ff. de inoff. test. Adstipulator Mercur. Merling. de legitima l. 1. c. 3. q. 4. Gloss. in authent. Nov. ff. super verb. Titulo. C. de inoff. test. Arum. Exercit. 10. thes. 21. Michael. Gräf. d. S. quest. 10. Dissentiunt iterum Dn. Struv. d. loc. Strauch. alleg. loc. & alii quos brevitatis causa omitto.

## Thes. IX.

Cum autem in augmento & in computatione Legitimæ liberorum numerus inspiciatur, quæritur an exhæredati liberis annumerentur? Sic e. gr. quoad portionem minuendam habet pater quatuor filios, unus ex illis fuit ex hæredatus, atquè à successione paterna repulsus, operæ pretium erit quærere, in quot partes iste triens sit dividendus, an in quatuor, ut ita pars ex hæredati ad hæredem universalem perveniat, an vro in tres ut ita illius pars accrescat non ex hæredatis? Ex. filium exhæredatum liberis annumerari & partem facere, nec quantum ad Legitimam pro mortuo haberi, quia respicitur portio & jus

intestati, quo omnes liberi sunt æquales. Et spectatur hic quid jure ipsis concessum, non quid per exhaeredationes aliter dispositum sit, probaturquè *text. expres.* in l. 8. §. 8. ff. de *inoff. test.* Idem obtinet quoad augendam portionem. Si enim e. gr. pater habet filios quinque, uno ex his à successione remoto, reliquorum nihilominus erit semis, non triens. Dissentunt. *Scotan. dissert. 24. thes. 15. Cucchus. d. tr. pag. 567. Gail. 2. observat. 122. n. 18. Facchin. 4. controv. 31. Berlich. part. 3. Conclus. practic. 12. n. 9. & seqq.*

## Thes. X.

Matri quoque deberi legitimam certissimi est juris, & in hoc unanimiter consentiunt DD. quanta autem illa esse debeat, si defuncto filio concurrat cum defuncti fratribus, invicem contendunt, quibusdam partem totius hæreditatis quibusdam vel partem tertiae autumantibus. Illam tuetur Jacobus Butrigarius, *Baldus in auth. Novis. quest. 8. Salicetus in quest. 9. C. de inoff. test.* & Paulus Castrensis, in concilio 254. Hanc Bartholus, quem sequimur, quia si defunctus decessisset intestatus, mater & isti duo fratres æqualiter successissent in trientes, adeoque Legitima cujusquè est trientis illius quadrans l. 8. §. 8. ff. de *inoff. test. l. 6. l. 8. C. eod.* Ergo satis est, si hæres suppleat matri Legitimam usque ad quartam partem tertiae partis, cum plus ab intestato habitura non fuisset quam trientem. *vid. Anton. Cucchum d. tract. pag. m. 523.*

## Thes. XI.

Dissentunt iterum DD. An legitima sit quota bonorum an verò hæreditatis? Qui pro quota bonorum stant, inter quos est *Gail. 2. observ. 120. n. 2. & 2. observ. 131. n. 12. Card. Tusse tom. 5. practicar. conclus. L. L. 18. n. 30. & seqq. Berlich. pars. 3. conclus. II. n. 3. Mantuan. de conjectur. ult. volunt. lib.*

7. c. 8.

7. c. 8. n. 3. & P. Chass. in consuetud. Burg tit. des successions  
 §. 1. n. 2. hanc in primis urgent rationem, quia legitima non  
 debetur, nisi deducto ære alieno l. 8. §. 9. & de in off. fest.  
 Atque bona dicuntur alieno ære deducto l. 39. §. 3. de V. S. quia  
 creditores defuncti liberis tempore sunt priores, siveque po-  
 tiores l. potior. 11. ff. q. potior. in pign. habeant. Liberis au-  
 tem non Legitima debetur nisi à parentis morte l. 6. C. de  
 inoff. test. Posterioris membra asseclæ rejiciunt hanc conse-  
 quentiam. Quorum fundamentum est quod Legitima sit  
 aut triens aut semis, atqui triens & semis partes sunt hæ-  
 reditatis §. hereditas Inst. de hered. inst. vid. Bartol. in l. pater  
 filium n. ib. ff. de inoff. test. & Scotanum d. Diss. n. 18. quita-  
 men alio nititur fundamento, quod vide. Nobis autem  
 tam hæreditatis quam bonorum partem afferentium tenten-  
 tia arridet, diverso intellige respectu, licet Legitima quo-  
 ad onera & incommoda sit quota bonorum, ut non debeat  
 tur nisi ære alieno detracto, eo tamen sensu dici quoq; potest  
 pars hæreditatis, quia hæres nominatus est; Unde ei e-  
 tiam datur remedium L. fin. C. d. Edict. D. Hadr. tollend. Hanc sen-  
 tentiam sequitur Magnificus Dn. Dr. Rebhan, Patronus Præ-  
 ceptorque meus in æternum colendissimus in Hodeget. Jur.  
 p. 240. n. 48. Johannes a Sande in suis decis. aur. lib. 4. fit.  
 9. Det. 6. & Mar. Anton. Cucchus detract. p. 526. n. 4. & 5.

## Thef. XII.

Uti autem Legitima (quæ ex singulis substantiæ defun-  
 eti rebus judicis arbitrio, decerpitur l. 36. verb. C. boni viri. de  
 inoff. test. quæque tantum institutionis titulo relinquenda est.  
 Nov. 115. c. 3. pr. cuius hæc est sententia, quod patet teneatur  
 instituere, aut exhæredare liberos, non autem sufficiat legati  
 titulo vel alio simili citra institutionis formam eam dare Rit-  
 tershus. ad Novell. part. 6. c. 3. n. 36. Scotanus D. Differ. th. 26. Can-  
 sus

sus ad lib. 3. Decretal. in cap. Raynutius n. 2. & seqq. Dissentit  
 Strauch. Dissert. 9. th. 38. Cucchus, sed ut ipse fatetur con-  
 tra communem sententiam d. tr. p. 676. ) non debetur ni-  
 si deducto ære alieno per jur. alleg. ita libera esse debet ab  
 omni onere , in tantum, ut si quid oneris sit adjectum, pro  
 non adjecto habendum sit. Gail. 2. Observ. 119. & seq. n. 12.  
 Fachin Cib. 12. c. 20. Ratio autem manifesta, quia Legitima  
 non ex voluntate testatoris, sed legis dispositione ejusque ne-  
 cessitate & provisione dependet Nov. 1. c. 1. §. 1. Nov. 115. c. 3.  
 quem autem testator non honoravit, eum etiam non potest  
 onerare. Admittit itaque Legitima neque conditiones, ne-  
 que dilationes , nec ullam moram , neque usumfructum  
 neque prohibitionem alienationis ( hæ enim veræ sunt spe-  
 cies onerum, seu gravaminum) sed integra non imminuta, omni  
 ex parte immunis filio relinqu, & in continentí patre mortuo  
 solvi debet, omnibus dictis oneribus inde detractis l. 32. C. de  
 inoff. test. Gail. d. loc. Ritersh. d. tr. part. 6. c. 4. n. 27. Cerpzov.  
 Definit. forens. p. 3. c. 9. Defint. 1. Vincentius de Franchis Dec.  
 127. n. d. Joh. Stuckius consil. 4 n. 895. Canisus d. tract. thes.  
 7. & 8. Michael. Grass. d. §. quest. 39. & Scotanus d. Dissert.  
 thes. 17. hac addita tamen limitatione, nisi forte bona mente  
 i. e. in favorem filii id evidenter sit factum , quod fieri po-  
 test, si e. gr. testator filio, cùm idei conductat, prohibet, ne alie-  
 net bona legitimæ donec ad ætatem perfectam pervenerit  
 vid. Cujacium ad Novell. 18.

### Thes. XIII.

Ex hisce dictis abunde patet, quid tenendum sit de ejus  
 modi dispositione , qua parens Juris imperitus uxori legavit  
 universorum honorum usum fructum, liberorum vero nullam  
 fecit mentionem, nimirum illam non valere, nullius plane  
 momenti esse, contrariariq; apertissime, d. Nov. 28. c. 3. con-  
 stat

stat, quod & confirmant verba satis manifesta, quæ reperiuntur ap. Carpzov. d. tract. p. 3. Const. 9. Definit. 2. Wann den Kindern im Testamente die gebührliche Legitima oder Erbtheil oder sonst eintheil Güther titulo honorabili nicht verlassen noch sie darinn als Erben eingesetzt werden / so ist das Testament nichtig. Quin licet filios instituerit in proprietate, de-tracto ususfructu, mentio oneris adjecti scil. ususfructus tamen tollitur, quantum ad partem Legitimæ, & ususfructus hactenus pro non adjecto habetur, juxta Thes. XII. Hinc sit, quod hæc cautela, quam defendit Cæpoll. cautel. 21. à DD. inter quos est Carpzov. d. tract. p. 3. c. 12. definit. 7. & Scotanus d.l. appelletur inepta. Est enim ususfructus onus, & quidem gravissimum, Legitimamque valdè gravat, quæ tamen uti dictum, plane nullum recipit onus; quod autem onus sit, & gravet, videre est ex hoc, quia est servitus. l. 1. ff. de usu. & usufr. leg.

## Thes. XIV.

Debetur itaque Legitima liberis in proprietate usui frumenti nexa & contexta, ne dum, uti eleganter ait Balduinus pag. 548. ususfructus esset penes uxorem, liberi cum sua nuda proprietate misere esuriant. Et hanc rationem quoque urget Justin. in Novel. alleg. liberisque paternè succurrit: Novit enim mulierum genus, cui nihil potius est, quam ut multarum possessionum præsidio munitum, imperium super liberos quam severissime exerceant, suæque avaritiae testimonia quam manifesta edere possint. Juxta Accursium enim in l. 34. v. 6. econtrario. ff. de neg. gest. & Panciroli conf. 8. n. 25. & conf. 58. n. 21. mulierum genus est tenacissimum, ita quidem, ut referente Tiber. Decian. v. 3. Resp. 32. n. 7. loco miraculi haberi debeat, cum mulier donat. Ne itaque liberi misere esuriant, à matre Legitimam, cuius usum-

C

fru-

fructum sibi vindicare non potest, petunt, quam si dare recusat, ad hoc compelli potest, quibus autem remedius utendum thes. seqq. videbimus.

### Thef. XV.

Neque Parens sua dispositione impedire potest, quo minus liberi eam consequantur, in tantum, ut etiam si verbis expressis eam prohibuerit, ejus præceptum non valeat; Debetur enim Legitima, ut supra probavimus, de jure Naturæ, quod nisi ex certis justisque causis mutari potest. II. Ejusmodi præceptum parentis non valet, quia fit in fraudem legis. Nec obstat, quod suprema testatoris voluntas pro lege observanda sit. *in §. Disponent. in Auth. de nup.* quia hoc non procedit, si aliquid contra jus vel legem disponit *l. 27. ff. de condit. Inst. junct. l. 9. ff. eod.* non enim statuere potest, ut LL. non habeant locum in suo testamento *l. 55 ff. de legat.* I. hinc præcepta testatoris de justis non injustis intelligenda sunt, per *jur. alleg.* & licet voluntas ejus ante omnia attendenda sit, legibus tamen ut subjiciatur necesse est, ita quidem ut referente *Stuckio Consil. 4. n. 857.* licet testator nullies clausulam privationis adjecerit, attamen filium privare ea non possit, *arg. l. 5 ff. quibus ut indign.* vid. etiam *Carpzov. d. tract. part. I. Constit. 7. D. 24. Gail. 2 Observ. 145. n. II. Canisum d. tract. p. 217.* & Cucchum, secundum quem pater liberos legitima defraudare volens, quod fieri potest, si alteri promittit sua bona post mortem, quia erit æs alienum, adeoque debetur ante Legitimam, seu falso confiteatur, quem sibi certam pecuniae summam mutuo dedisse, seu bona sua in præjudicium filiorum vendit, peccatum committit mortale *p. m. 60. num. 4.*

### Thef. XVI.

Quid autem si filius dispositioni paternæ consenserit,  
eam.

eamque approbaverit? Distingu. vel enim approbatio facta est, vivente adhuc patre, vel eo mortuo, si illud, nequè ulla pactio seu transactio cum patre inita tantum officit filio, ut à justa integræ legitimæ petitione post mortem ejus repudiari possit; Magis enim, inquit Justinianus in l. 35. §. 1. C. de inoff. test. meritis filii provocandi sunt ad paterna obsequia, quam pactionibus adstringendi; modo jusjurandum non accesserit, nam hac specie pactio valeret, propter generalem regulam, qua jubetur omne juramentum servari; quod non tendit in præjudicium alterius, nec redundat in dispendium salutis æternæ c. 2. de pact. lib. 6. &c. cum contingat 28. in fin. de jurjur. Si hoc, quin ejusmodi pactio locum habeat dubium est nullum, quia quilibet juri pro se introducto renunciare potest l. 2. C. de pact. Canisus d. loc. p. 217. Gail. 2. Observ. 119. n. 8. & DD. ab eo alleg.

## Thes. XVII.

Uti autem quilibet juri pro se introducto renunciare valet, d. text. ita quoque necessitatem restituendi sibi imponere potest, juxta præceptum l. 35. §. 2. C. de inoff. test. Hinc libenter admittimus illam cautelam, quam per mores receptam asserit Scotanus d. D. thes. 17. quæ est, ut pater det filio electionem, num nudam velit habere Legitimam, num usumfructum totius suæ portionis per omnia fidei commissio oneratæ, adeo ut nec legitimam reliquam habeat, quia non testator, sed filius eligendo se gravat. Nec ejusmodi etiam statutum, quo disponitur, ut conjux superstes bonis universis defuncti conjugis ad vitam utatur fruatur, nec liberi co vivente, legitimam petere possint, plane rejicimus, quod defendit Carpzov. d. tract. part. 3. C. 12. D. 6. modo interim à conjugi superstite prætentur alimenta. Et res sane ad idem recidit, cum enim Legitima loco alimentorum sit. dd. text.

C 2

text.

xxx. filius, dum ea suppeditantur Legitima privatus dici non potest, sunt autem alimenta constituenda pro dignitate familiæ & Patris, & si paternæ opes sufficient lautora. Caveat autem sibi filius ne si alimenta sibi deberi contendat, Legitimam petat, sed judicis officium inprolet, nam si Legitimam peteret, succumberet, veluti inepte agens; alimenta enim judicis officio petuntur l. 3. ff. de alim. leg.

## Thes. XVIII.

Fidei commissum, quia non minimum onus continet, legitima quoque rejicit; Hinc fit, quod hæc conditio ubi pater filium quidem hæredem instituit, hac tamen lege adjecta, ut si sine liberis decesserit, restituat fratri vel alteri bona à parente relicta, quoad Legitimam à jure removeatur, ita ut filius testari de ea, legare, vel pro arbitrio suo eam in aliud transferre, vel transmittere possit; cætera vero bona fidei commissio continentur, restitutionique subjacent, si conditio extirerit. Hac occasione non incommode forsitan quæri potest, quid obtineat, si filius fideicommisso universali gravatus præter Legitimam suam etiam quartam Trebellianicam detrahere possit? Quæstio sane uti nobilissima & tritissima ita intricatissima; sunt quidam DD. qui duplē detractionem juri civili congruam autumant, sed tantum abest, ut hanc suam sententiam LL. (erubescat enim ICrus sine lege loqui) stabilire possint, quin potius leges & loca in contrarium manifesta sint, ut l. 6. C. Sctum Trebell. l. 1. ad L. falid. l. 8. §. 9. & 11. ff. de inoff. test. Et hanc sententiam DD. unanimiter amplectuntur ita, quidem, ut Rittershus. tr. de different. Jur. civ. & Can. lib. 4. cap. 9. miretur Fachin. lib. 3. c. 1. & 2. contrariam velle fovere opinionem. Pro communi sententia vid. Struv. Exercit. 36. thes. 30. Rittershus. ad Novell. part. 6. c. 4. n. 28. Strauch. d. Dissert. 10. th. 21. Amad. Eckolt.

Eckolt. p. m. 489. & 497. Hahn. ad Wesenbec. ad Sam. Trebellian. N. 6. Canisum. d. tr. n. 15. & seqq. Gail. 2. Observ. 121. n. 4. & seqq. Carpzov. part. 3. C. 1. Definit. 20. & Rittershus. d. loc. qui argumenta dissentientium examinat & refellit; Hac autem in re divortium facit à jure civili Jus canonicum uti videre est ex cap. 16. Raynuttus & c. 18. Raynaldus ext. de test. dupl. detractionem admittens; Unam Legitimam, nimirum jure Naturæ debitam, & qua filius, alteram, qua extraneus; Videbatur enim injustum Innocent. III. & Gregor. IX. hor. capp. Autoribus deterioris esse conditionis filios, quam extraneos, qui fidei commisso universali gravati, quartam Trebellianicam detrahunt, toto tit. D. & C. ad Sctum. Trebell. eisque hoc beneficium non denegandum putarunt. Quod nam autem jus alteri prævalere debeat, queri posset? nisi recepta regula in promptu eslet, quod nimirum quoties res obscura aut dubia est jure civili, Jure autem canonico clare definita, canonibus etiam in foro civili standum; Minsing 9. Resp. 85. n. 3. Et quicquid sit in puncto Juris; crebriori calculo obtinuit hæc distinctio, quod nimirum aut filius fidei commisso gravatus est pure, id est absque ulla conditione, vel sub conditione (puta si sine liberis moreretur, quæ conditio in fidei commissis est frequentissima;) Si prius, potest Legitimam tantum filius detrahere, sin posterius & Legitimam & Trebellianicam vid. Jason. in l. 24. n. 6. C. fam. ercisc. Castrrens. in l. 6. n. 2. C. ad sctum Trebell. quam usu frequentari & pro Evangelio teneri putat. Gail. 2. Observ. 121, n. 1. 2. & seqq. Rittershus. ad Novell. part. 6. c. 4. Acriter hanc dupl. detractionem de jure civili defendant Fachinæo oppono Hottomann. Dissidentem.

## Thes. XIX.

Inquisivimus hactenus in derivationem Legitimæ,

C 3

ejus

ejus definitionem, varias appellationes, Personas à quibus & quibus debeatur, & in modum relinquendi, deducendique Legitimam. Restat ut videamus breviter, quid in eam imputetur, quæque actiones pro Legitima consequenda competant: Quoad priorem questionem hæc ponenda Regula; quod ea quæ à patre & ejus bonis immediatè proficiuntur, illa demum imputari solere in Legitimam, non autem quæ filio aliunde obvenerunt, ut late probat Hartmann. Pistoris. l. 2. part. 2. quest. 38. n. 2. vid. m. Carpzov. d. tr. part. 3. c. 10. D. 8. Cuculum p. m. 135. & seqq. & Vicentium de Francis Decis. 318. n. 5.

## Thes. XX.

Ex horum numero cum sit dos profectitia, quilibet videt, illum imputandam in legitimā: Dixi profectitia, adventitia enim, quianō ex re patris, vel facto ejus, aut patris intuitu obvenit, sed aliunde proficiscitur, huic imputationi obnoxia non est; Ut autem profectitum non tantum illud dicitur, quod ex bonis patris proficiscitur, sed ejus contemplatione datur, ita dos profectitia talis manet, si intuitu parentis illa data, etiamsi extra patrimonium ejus filia capiat, modo certissime constet, in ejus considerationem hoc factum l. 6. ff. de collat. Et hanc sententiam communem vocat Paulus Castren. Consil. 96. n. 2. vol. 2. Item obtinere putant in dubio, idque admittere possumus in avo, qui neptem contemplatione filii potius dotare videtur, maxime si filius sit pauper vid. Michael. Graff. d. §. quest. 29. & 24.

## Thes. XXI.

Imputationi porro subest do natio propter nuptias, idquè ad dotis similitudinem, & ut æqualitas servetur l. 29. C. de inoff. test. Itemque jocalia, vestes, omniaquæ filiæ data occasione matrimonii, dummodo vestes sint pretiosæ & ad usum

titum quotidianum non necessariæ, aliaquæ quæ pater alias verisimiliter non fuisset daturus, hancquæ sententiam communem appellat *Vasquis* §. 30. n. 267. vid. m. Richter. de c. 40. n. 12. Michael. Grass. d. §. quæst. 23. & Cucchum d. tr. p. 689. modo pater expresse non designaverit, auth. ex Test. C. de collat. Michael. Grass. quæst. 22. n. 1. & 2.

## Thes. XXII.

Imputationem verò respuant *Bona castrenia* & quasi, quæ filius acquisivit occasione vel armatæ vel togatæ militiæ, quia etiam immunia sunt à collatione l. 1. §. 15. ff. l. 2. l. ult. C. de collat. Militia autem ex substantia patris profecta imputatur, quæ vel nummis vedi, vel ad hæredes transmitti potest. l. 30. §. 2. C. de inoff. test. Sin autem neque vendi, neq; ad hæredes volitare possit, secus est d. text. Hinc videmus ea, quæ pater pro filio impendit, ut titulum Doctoris, vel Licentiati consequatur, imputationi non esse subjecta, quia sunt quasi castrenia l. 3. §. fin. ff. de muner. & honor. sunt enim libri, arma Doctoris, sine quibus non honeste militat; Est præterea Doctoratus Dignitas, quæ nec nummis vendi, nec ad hæredes transmitti potest, participant eisdem filii de nobilitate, quæ tamen nullo pretio vendi, aut aestimari solita est. Habet quoque maximum onus annexum & contextum; Tritum illud enim notissimum; Ubi rosa ibi & spina, unde ex æquitate quadam impensæ dignitatis cum ipsius onere compensantur, hocquæ sit favore studiorum, qui maximus est gloss. in l. Macedoniani C. ad Sctum Macedon. vid. D. Bechmann. tr. de Studiosor. privileg. c. 8. n. 12. Perez. in Cod. tit. de collat. n. 12. & 13.

## Thes. XXIII.

Execrantur quoque imputationem sumptus à parente studiorum causa in filium erogati l. 50. ff. famili. ercisc. quia alimen-

alimentis annumerantur, quæ filio debentur, quin & arg.  
*d. 4. ff. de castrens. pecul.* præcipua habet filiusfami-  
 lias, quæ pater ei in militiam proficiscenti largitus fuit, quo  
 jure autem frui possunt milites, eo & quasi *Everhard. in loc.*  
*eop. loco ab armat. milit. n. 1. & segg.* Alteram rationem vid.  
*in l. 3. §. 2. ff. ubi pupill. educ.* Hæc tamen ita intelligenda  
 sunt modo. I. parens hos sumptus, non animo credendi  
 suppeditaverit *d.l. 50. ff. famil. ercisc.* quod tamen in dubio  
 non præsumitur, sed probandum est, quod non sit exinde,  
 si pater illos libro rationum seu Calendario suo inscriperit,  
 seu inter communes expensas retulerit, quia diligentे quan-  
 doquè patresfamilias etiam sumptus minutissimos in libros  
 rationum accurate referunt, saltem, ut singulis annis acce-  
 ptorum & expensarum exactam rationem inire queant. *We-*  
*senbec. in parat. ff. de usucap. n. II.* Sed si pater in libros debito-  
 rum assignaverit, seu in librum particularem ad hunc finem  
 confeatum, ut de expensis pro filio constare possit *Carp-*  
*zov. part. 3. Const. II. D. 20. Finkeltus. observat.* II. Limitatur  
 hæc assertio, II. Si modum non excedunt hi sumptus, ut reliqui  
 liberi legitimam non habeant salvam, cùm enim, uti supr.  
 probavimus, hæc liberis jure Naturæ debeatur, hujusquè ra-  
 tione filius dicatur creditor, hoc debito naturali defraudan-  
 dus non est, *l. 26. §. 2. C. de inoff. test.* Tertio nisi hos sum-  
 tus filius pessime dilapidaverit, arg. auth. *quod locum C. de col-*  
*lat.* Quarto nisi pater hoc ultima volantate caverit, quod  
 tamen, ut & primum, *cum Richter. ad auth. habita C. ne fil. pro*  
*patre Disp. 5. p. 85.* non de necessariis accipe. Et sane Reipl.  
 quam maxime interest, ut iis non imputentur, quia alias vix  
 invenirentur, qui studiis, unde commodum in æstimatice  
 sedditur, invigilarent. *Hilliger. ad Donell. lib. 19. c. 4. L. Z.*

Thes. XXIV.

## Thes. XXIV.

Quid autem de Feudis dicendum. An illa admittant imputationem? Distincte procedendum, dicendumquè quædam indistincte imputari, quædam non nisi certo in casu. In priorem classem referenda sunt. I. feuda nova, patris pecunia empta, habita nimirum ratione pecuniæ in emptiōnem eorum collocatæ, quia capit filius patris contemplatio-  
ne, sicuti quando filio emit pater militiam, & hanc conclu-  
sionem nullum habere dubium testatur *Michael. Grass. d. §.*  
*Legitima. quest. 21. vid. Hartmann. Pistor. part. 2. quest. 38. n.*  
*63. qui multis rationibus & argumentis hanc tententiam defendit. & Carpzov. part. 3. C. II. D. 28.* II. Feuda hæredita-  
ria, quæ simpliciter pro se suisquè hæredibus, *zum rechten Erb-*  
*gut/ concessa sunt, & hoc procedit sive antiqua seu nova sint,*  
quia capiuntur jure hæreditario, & censentur tanquam pars  
hæreditatis defuncti, ut bona allodialia, hinc in petitionem  
hæreditatis veniunt *Minsing. Cent. 3. observ. 67.* & cum ea ex  
substantia patris ejusquè hæreditate habeat filius, merito im-  
putare debet, *Grass. d. loc. Ludvv. in synops. Jur. Feud.*  
*c. 4. num. 2. Vincentius de Franchis Dec. 365. num. 4. & seqq.*  
Posteriori autem adscribimus feuda ex pacto & providentia  
quæ ideo ita dicuntur, quia pactū hominis & providentia Legis  
in hoc concurrunt, ut solum descendentes ipsius investiti, noi-  
verò etiam hæredes extranei in feudo succedant; *vid Clar.*  
*quest. 9. n. 6. in fin. appellantur alias familiaria, seu de familia.*  
Hæc non indistincte imputantur, sed tantummodo, si sunt  
nova, & immediate à patre ad filium devolvuntur, quia à  
patre, de cuius successione queritur, acquisita sunt, cùm  
enim pater cum Domini consensu postea possit alienare, fi-  
lius à patre, qui non auferendo videtur concedere, habere  
dicitur. Ut non dicam in patris potestate fuisse feuda vel

D

aqui-

acquirere vel non. vid. plures rationes ap. Carpzov. part. 3. C. 10. D. 8. secus est in feudis aquisitis non ab ipso, de cuius successione queritur, sed ab ejus patre vel aliis ascendentibus, quia potius ex pacto antecessorum quæsita, quam à patre profecta vindentur, & extra substantiam patris capiuntur, ex sola enim providentia oriuntur, respectuque patris dicuntur adventitia, non profectitia, adeoque, ut alia bona adventitia, imputationem respuunt. Carpzov. d. loc. Graff. d. loc. Vincentius de Franchis. alleg. loc.

## Thes. XXV.

Sequuntur actiones, quæ pro Legitima consequenda competunt. Distinctione hic opus, aut enim in testamento Legitima rite est relictæ, aut non tota, sed aliquid tantum, aut plane nihil. Priori in casu ager petitione hæreditatis, si alius pro possessore vel hærede possideat, vel rei vindicatione, si titulo singulari. Quantum ad res singulari titulo, relictas, & in Legitimam imputatas, actionibus ex testamento, eas petet, actionibusquæ communibus experietur.

## Thes. XXVI.

In secundo casu, ubi quidem aliquid est relictum, sed non integra, ratione relicti eadem sunt actiones, ratione defectus autem non quidem patris testamentum impugnatur, sed ad supplementum per conditionem ex l. 30. & 30. C. de inoff. test. agitur. Hac conditione institutus etiam in reminima virtute ejus institutionis, consequitur supplementum, usque ad totam Legitimam, tanquam si fuisset institutus in tota Legitima, quia videtur plus dictum ac minus scriptum, quod etiam procedit etiamsi clausula apposita fuisset, ne posset plus petere, propter rationem in thes. XII. supr. alleg. Nota tamen formam proponendi hanc conditionem. I. Quod in bonis defuncti tot sint bona, & tanti valoris II. Quod relicta.

relicta sit tanta summa titulo Institutionis. III. Quod prædicta summa sibi non sufficiat, pro sua legitima portione. IV. Quod tantum deficiat pro sua legitima, quare petit sibi suppleri juxta formam l. 30. C. de inoff. vid. Michael. Grass. d. §. Legitima quest. 18. Cucchum. p. 10.

## Thes. XXVII.

Si autem plane nihil est relictum eo casu, (qui tertius est) præteriti testamentum nullum dicunt, injustè autem ex-hæredati (qua voce præteritionem quoque, quæ pro exhæredatione est, hic complectimur) querelam inofficiosi movent, qua defuncti judicium evertitur, testamentumque tanquam contra officium pietatis factum rescinditur. Explorati enim Juris est, inquit Carpzov. part. 3. const. 9. Def. 18. facultatem disponendi de bonis suis parentibus hisce cancellis circumdatam, ut liberis legitimam omnino relinquere necesse habeant. Quod si inter miserint, liberis v.g. indultum est, ut hanc parentum inofficiosa dispositionem revocare, & debitam portionem petere possint l. i. & 2. C. de inoff. test. Ex hisce patet differentia inter querelam inofficiosi, & conditionem, nimis illa est odiosa, & rescindit testamentum, hæc favorabilis est, & datur ad supplendum id, quod filii deest.

## Thes. XXVIII.

Non tamen testamentum ob id nullum est, quod res pro Legitima relicta, filio evincatur, quasi nihil esset relictum, quia loco rei relicta videtur æstimatio, quæ si non sufficit ad supplendum est agendum. Brunnem. ad 36. C. de inoff. test. Et hæc sunt quæ pro tenuitate atque imbecillitate ingenii de hac materia, ut nobilissima ita frequentissima monere volui. Fateor equidem multa esse residua, quorum discussio huc quoque pertineret, pluraque apposita quæ limatiorem & politiorem tractationem desiderarent. Verum partim.

partim instituti temporisque ratio, partim instans iter,  
quod, faxit D E U S bono omine! suscepturnus sum, silen-  
tium mihi imponit. Tuum erit, Optime Lector, si non  
potes veritati, amori tribuere, ut haecce tuo testimonio  
subleves, tuaque commendatione exornes. Quod si fece-  
ris, (quod Te facturum mihi persuadeo certissime, de Tua  
enim humanitate in judicando minime despero) uti hoc a-  
pud me non vulgaris gratiae locum obtinebit, ita nullum of-  
ficii genus, aut studii, nullam omnimo rem, quæ vel ad u-  
tilitatem Tuam, vel laudem spectabit, me prætermissum pro  
certo habe.

Dco Sit Laus Honor & Gloria in  
sempiterna saecula.

# LEADERFERNERWENDE VERSVARYNCE

*Ad Nobilissimum DN. CANDIDATUM*  
genere ac indole conspicuum.

**N**unc FRIDIOS, FRIDI, decus hoc utrumque Triboccum,

Nunc cognata tibi nomina magna referuntur.

Sic capis & sic ipse paras exempla, Tuorum  
Sic illustre bonâ surgis in omen ave.

*Legitima* immoto capitur si debita jure,  
Tu quoque *Legitima*, præmia, jure, feres.

**Gratulationis contestandæque benevolentiae  
ergo f.**

# PRÆSES.



VD-18



SL

WOMT





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-541852-p0032-8

DFG

# Farbkarte #13

B.I.G.	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
8									
7									
6									
5									
4									
3									
2									
1									
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9

ene vertat! 1682, 1 a/o  
A INAUGURALIS,  
EJUSQ;  
RÆSTATIONE  
te Numine  
RITATE AMPLISSIMI  
ORDINIS.  
AC ILLUSTRISSIMA  
UNIVERSITATE  
IDE  
VLTISSIMO ATQUE  
ISSIMO  
COCCEJO  
NSILIARIO STATUS  
INI DIGNISSIMO  
SPECTABILI  
e sempiterno obser-  
cultu suspiciendo.  
ENTIA  
E JURE HONORES  
CONSEQUENDI,  
examini subjicit  
COBUS SXJED.  
mariensis  
OC. LXXXII. b. l. q. f.  
ERGÆ,  
VNIVERS. Typograph.